



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. X. Sancti Severini ædificii. An in domo pluribus communi cum  
distinctione solrioru[m], seu appatamentoru[m], quia nempe un[us] sit  
Dominus appartamenti superioris, alter verò inferioris, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](#)

## DE SERVIT. PRÆDIALIB. DISC. IX.

21

propria domo, ut in specie observat *Gratian. discept. 896. num. 1. & seqq.*

Hanc responzionem dicebam probabilem, ac humana rationi adaptatam, ita ut hujusmodi circumstantia ponderari posset pro fortia adminiculo servitius ab initio inducere, quam probari posse per præsumptiones & adminicula receptum est in iure ex deductis supra in *Ianuen. disc. 2, in Firmana servitius disc. 3, & in alijs hoc tit.* Et in individuo fenestræ existentis in parte superiori muri lateralis, prout est iste, *plene Riminal. jun conf. 421.* Cū enim omnino improbabile sit aliquem velle confruere maniones omnino obscuras & inutiles, intrat probabilitas, quod inter duos vicinos ædificantes conventionem sit ab initio, ut unus dominus efficit altera depressior, ad effectum, ut ex parte excedente lumen habeti possit, aliundè non obtinendum, de quo etiam in *Camerinen. disc. 4.*

Verum istam conjecturam meo quidem judicio fortissimam, cessare dicebam in hac facti specie ex duplice circumstantia; Prima nempè, quod poterat aliundè consuli obtinendo lumen ex lodiæ, prout antiquæ domus struætura inducbat; Et altera, quod hujusmodi fenestra constructa non fuit ab initio ædificata domus, quo casu recte intrat supradicta præsumptio conventionis ex tunc inter vicinos habita, dum in facto constabat post longum intervallum apertam esse; Quinimò ex dicta prima circumstantia recipiendi pro hac mansione remolum & mendicatum lumen ex lodiæ, dum melius recipi poterat ex fenestra in hoc loco in ipsa muri constructione aperienda, clarum resultabat argumentum contrarium, quod scilicet alter vicinus permittere noluerit; Quodque ubi aliundè lumen recipi potest, & utriusque parti consuli, id omnino per judicem secundum sit *Duran. dict. decis. 450. num. 3.* ideoque dicebam vicinum se opponentem reducere debere domum ad suam originalem struætam aperiendo scilicet lodiæ.

Fuissent hac forsitan operativa, si ab initio causa deducta essent, non tamen prævaluerunt post duas sententias conformes contrarias, & resolutionem plenæ Camere in tercia instantia, cùm difficultas retractantur ea, quæ re integra non concederentur; Potissimum vero causa non recedendi à resolutis fuit infelix conditio domus elevandæ, ut potè existentis in quodam cœco viculo, undè nullus exindè publicus ornatus resultabat; E conversò autem altera domus oppositoris ita non leva incommode, & præjudicium patientis, erat nobilioris struætura ac faciens ornatum, quæ circumstantia in his terminis satis spectari solent pro jucicis arbitrio regulando.

## SANCTI SEVERINI ÆDIFICII

PRO  
HORATIO MARGARUTIO

CVM

N.

*Causa pro Horatio per A. C. refutatio.*

An in domo pluribus communi cum distinctione solariorum seu appartamentorum, quia nempe unus sit Dominus appartenenti superioris, alter vero inferioris, possit unus in sua parte aperire portas vel fenestras, seu aliud novum opus facere altero invito.

## S V M M A R I V M.

1. **C**ausa controversia.
2. **C**on re communis potior est conditio prohibentia.
3. Quando murus datur communis.
4. Inter possidentes plura ejusdem domus, solaria seu appartamenta an dicatur aedes communio seu consortium.
5. Possessor solarii seu appartenenti superioris an dicatur dominus, vel potius id obtinere jure servitius, referuntur plures opiniones.
6. Superficies servire non potest solo, sed bene econtra.
7. Habens adiuvium superius non potest innovare cum damno habemis inferioris vel econtra.
8. Dominus rei servientis, an & quomodo ea uti possit, vel statum immutare in prajudicium dominantis.

## D I S C. X.

**C**um ejusdem domus in Civitate sancti Severini, Margarutius possideret primum solarium seu appartamentum inferius, alter vero possideret duo alia appartamenta superiora, atque Margarutius quamdam portam aperire vellet, se opponente Domino aliorum appartamentorum, orta est controversia in Tribunal A. C. in qua pro oppositore agentes, cum presupposito, quod ageretur de re seu muro communis, insisterebant in regula sapientis hoc tit. in *Pisauren. muri disc. 6. & alii discussa*, ut in re communis potior sit conditio prohibentia, ex deductis in materia post antiquiores per *Thesaur. decis. 23, 41, & 219. Sard. conf. 126, & 387. Altograd. conf. 100. vol. primo Cyriac. controv. 460. Ciarlin. controv. 30. Ronit. dec. 30. Sperell. dec. 54, & 56. Rota seu Camera decis. 253, par. 7, recent.* apud quos habetur de materia, quasi quod mutando antiquam struætam, & aperiendo novas portas vel fenestras, datur locus uti re communis præter usum destinatum, quo casu recepta est dicta regula negativa, ut scilicet potior sit conditio socii prohibentis.

Verum pro Margarutio scribens dicebam opus non esse assumere disputandam supradictam questionem ut potè à casu controversie penitus extraneam illa etenim procedit cum presupposito communis seu consortii omnino in facti specie cessantis; Tunc etenim murus dicitur communis, quando constitutus est inter duo edificia, vel causa dividendi, vel causa substituendi communia tigna & tecta, ita ut non magis unius quam alterius dicivaleat, sed utriusque sit æquale dominium & possessio, atque ambo dicantur Domini in solidum seu per partes quotitativas potius, quam quantitativas, undè nemo suum distinctè respectu totius usus muri dignoscere valeat, quia hujusmodi muri dicuntur utriusque in solidum tanquam duorum in communione viventium, ut in proposito consortii ad effectum retractu benè de hac communione habetur apud Merlin. decis. 386, 411, & 465. alias 243, 303, & 378, part. 5, recent. ideoque quomo-

quomodo documque dicatur, dari non potest causus quod unus facere valeat opus, per quod contingat totum murum perforari absque prejudicio alterius, & utendo portione confocii, qualis non erat causus noster, quia quilibet contendendum possidebat solus & insolidum ejusdem domus distincta solaria seu appartamenta, ita quilibet distinguere suum dominium suamque possessionem, quo casu adest non dicitur communio seu consortium, sed quilibet dicitur Dominus. *Sic* partis, perinde ac si essent duas domus inter se distinctæ, quot sunt solaria, ut in specie possidentium ejusdem domus plura appartamenta, *Carpan. ad statut. Mediolan. tom. primo cap. 434. num. 32. Borguin. dec. 19. num. 52. & seq. par. 2. addit. ad Buratt. decisi. 520. num. 13. & 15. Merlin. decisi. 386. & 411. alias 243. & 303. par. 53. recent. ubi agendo de materia retractus competentis ratione communis seu confortii, magistraliter explicatur, tunc domum dici pluribus communem, quando quolibet tota insolidam pro ejus portione possidetur, ita non distinguantur portions.*

Et hoc admittendo etiam opinionem voluntum possessorum solariorum seu appartamenti superioris dici possit Dominum, quia cum talis etiam dendus absque dubio sit possessor appartamenti inferioris, ut infra, iste dicebatur adficare velle in suo non autem in re aliena vel communii.

Multo magis, quia nequic omnino absolutum est, oppositorem, qui solariorum seu appartamenti superiorum possessor est, dici possit Dominum, cum in hoc tres habeamus opiniones; Prima est jam dicta, ut quilibet dicitur Dominus sui partis perinde ac si tot essent domus, quot sunt appartamenta; Altera vero, ut totius adficium dominum sit possessoris soli seu appartamenti inferioris, possessor autem aliorum solariorum dicitur ea potius habere jure servitutis, quam soli Dominus pati cogitur, quam tenet Cepollus servitius. *Vrb. prad. cap. 40. num. 10. Socin. conf. 139. lib. 1. Caball. conf. 8. lib. 2. & ceteri cunctati per Andreol. in addit. ad Cepoll. ubi supra impressa post tertiam partem ejus controversiarum sol. 246. vers. solariorum materiam cum plur. seqq. praesertim vers. de domo divisa per solaria.*

Tertia deinde, ut possessor partis inferioris ut potest habens solum, sine quo adficium confitetur non potest, dicitur totius adficium Dominus directus, possidens verò partes superiores dicitur Dominus utilis seu superficiarius, quam tenent plures latè deducti per Andreol. *controv. 217.* qui hanc veriorem probare conatur; Quicquid autem esset de hujusmodi opinionum veritate, quam in proposito examinare opus non fuit; Quavis earum retenta, semper Dominus partis inferioris propè solum remanet Dominus plenus & directus, non autem possidens jure servitutis vel solius utilis dominii, cum sit impossibile, ut superficie serviat solum *Corn. inter conf. 80ccimi 138. num. 2. lib. 1.* Ideoque semper firmam remanere dicebam Margaritum adficare seu novum opus facere in suo, non autem in re aliena vel communii, in qua ratione coequalis dominii recte condonatus partes oppositoris assumere potest; Et in his terminis loquuntur, qui pro parte oppositoris deducebantur.

Et quamvis de jure verum sit, quod sicut habens adficium superius non potest in eo quicquam innovare, quod damnum vel periculum Domino adficium inferioris causare valeat, ita econversò ex deductis per Cepoll. *dicto cap. 40. num. 10. & aliis.* cum sit de jure certum, nihilominus id non percutit punctum adficandi in re aliena vel communii, cum cu-

lus terminis male ex parte oppositoris procedebatur, sed potius punctum seu terminos damni infecti, cui idem jus providet cum remedio cautionis juxta facti circumstantias & qualitates prudentis judicis arbitrio adhibendo.

Allegabantur in contrarium *textus in l. cum debere ff. de servit. Vrb. prad. & l. si forte ff. si servitus vindicetur*, ad probandum quod possessor partis inferioris, qui servitum debet possessor partis superioris non potest re inferiante ita uti, quod servitutis commodum cestet, vel diminutionem patiatur; Et in his terminis comprobatur, *Bero. conf. 131. num. 13. lib. 3.* sed facilis erat responsio, quod iura praedicta procedunt, ubi Dominus partis servientis vult tollere columnam seu aliud adficiun substantivum, per quod jus vel usus servitutis tollatur, ideoque cessabat applicatio ad factum, quia in praesenti Dominus partis inferioris aliud agere non intendebat, nisi pro ejus majori commoditate aperire quamdam portam, per quam murus substantiatorius partium superiorum non tollebatur, sed ad summum pretendi poterat debilitatio, circa quam ex peritorum judicio judicis arbitrium pro admittenda vel rejicienda cautione regulandum est, ut practicatum fuit.

## ROMANA DOMUS

PRO

PAROCHIALI ECCLESIA  
S. BLASII DE FOVEA

CVM

ABBATIALI ECCLESIA S. SALVATORIS MAJORIS.

*Causus disputatus in Camera, & resolutus pro Ecclesia S. Blasii.*

De eadem materia muri intermedii inter duas domos, an sit sit proprius unius vel communis; Et an vicinus possit altero in loco altius elevare, & tigna immittere etiam obturando fenestram ibi existentem.

## SVMMA RIUM.

1. *Facti series.*
2. *Resolutio causa.*
3. *In muro laterali potest quis altius extollere ex parte sua, etiam si fenestra vicini claudatur.*
4. *Sufficit reservare vicino lumen necessarium etiam per foramen & num. II.*
5. *De Constitutione Gregor. XIII. & de statuto Vrbis super uero muris etiam est proprius vicini.*
6. *Datur distinctio, cum qua intelligenda est conclusio, de qua num. 3.*
7. *Quod consulentibus non sit deferendum.*
8. *Quando potius deferendum sit opponenti quam adificanti, & econtra.*
9. *Ex quibus dignoscatur murum esse totum unius demus.*
10. *De privilegio luminum scala.*
11. *Declaratur conclusio degua num. 4.*

DISC.